

firmatis, & communicatis, & in Pontificis Constitutionibus, atque in suorum privilegiorum reformatis compendii contentis.

14 Dum privilegia quædam omittuntur, quæ in alia Bulla confirmatoria quædam omittuntur, quæ in alia ponuntur, non censentur esse revocata quæ fuerunt omissa, sed relinquuntur in suo vigore, quem pro tunc habent; unde plene adhuc valent, nisi sint revocata ab aliqua posteriore constitutione, aut Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini adversentur; Pontifex enim per Constitutiones confirmatorias non intendit, nec solet aliqua privilegia revocare, nisi id exprimat. *Communis*.

15 Clausula: *Quatenus, vel Dummodo sint in usu* (quæ in Constitutionibus confirmatoris privilegiorum solet apponi) significat, quod Papa nolit de novo confirmare, seu confirmando de novo revalidare illa privilegia, quæ per non usum, vel usum contrarium jam cessarunt, seu amissa fuere, & consequenter non amplius sunt in usu. Sic Donatus tom. 2. part. 1. traçt. 11. quest. 13. Rodriq. tom. 1. quest. Regular. q. 8. art. 3. Peiry. in declarat. privileg. Ord. Minor. tom. 2. Const. 1. Gregorii XIII. num. 1. Reiffenstuel loc. cit. num. 108. & alii passim.

16 Clausula: *Dummodo Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adversentur*, facit solum hunc sensum, *Dummodo Sacris Canonibus Concilii Tridentini, & Decretis Concilii Tridentini non adversentur*; Non enim per illa verba *Sacris Canonibus* intelliguntur Sacri Canones in corpore Juris clausi, seu contenti, alias nulla, & otiosa, sibi que interdictoria esset omnis confirmatio privilegiorum, cum omnia Regularium privilegia proprie dicta adversentur Juri communi: privilegium, enim dicitur Lex privata contra, vel præter Jus aliquid concedens; cap. Privilegia 3. dist. 3. c. Abbates 25. de verb. significat. Et sic illam clausulam intelligit Communis Doctorum, teste Reiffenst. loc. cit. num. 113.

¶ Nimis defleat in sensu istorum verborum: *Dummodo Sacris Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adversentur*, explicatio ab Auctore tradita. Canones Tridentini fidem dumtaxat spectant. Numquid præsumendum est Pontificem concedere velle privilegium fidei contrarium? Igitur verba illa: *Sacris Canonibus* denotant Canones in corpore Juris contentos, quibus Papa derogare minime intendit per Privilegiorum confirmationem, nisi alias Privilegium aliquod speciale concesserit ipsis contrarium.

† Sed debet Theologus adnotare quod id à me in Additione ex Auctore in fin. verb. Privilegium, suæ editionis Romanæ, quam ipsemet Theologus typis tradidit, jam satis fuerat adnotatum, & declaratum. †

17 Per clausulam: *Dummodo Decretis Concilii Tridentini non adversentur*, Reiffenst. loc. cit. num. 116. & num. 139. usque ad 146. cum Suarez, Miranda, Rodriguez ibi citatis, & pluribus rationibus adductis, contrariis argumentis solutis, dicit, & docet, quod probabilissime à confirmatione eximuntur illa dumtaxat privilegia, quæ à Concilio Tridentino sunt revocata, qualia sunt omnia, quæ contraria sunt Decretis sess. 25. de Regularibus, sicut & illa, quæ adversantur præcedentium Sessionum Decretis positum cum clausula: *Non obstantibus privilegiis*, seu alia simili clausula privilegiorum derogatoria, seu revocatoria. Alia vero privilegia, quæ contraria sunt decretis aliorum Sessionum (excepta dicta sess. 25. de Regularibus) & clausulam privilegiorum derogatoriam expressam non habentibus, docet non censeri revocata ab eodem Concilio, nec eximi à confirmatione per illam clausulam: *Dummodo Decretis Concilii Tridentini non adversentur*, loc. cit. ubi multa ad rem.

¶ Hæc opinio Regularibus nimium indulget,

proptereaque non videtur in omnibus probanda.

Clausula: *Quatenus, vel Dummodo non sint revocata, vel sub aliqua revocatione comprehensa*, significat aperte, quod Pontifex nolit confirmare illa privilegia, quæ per legem, constitutionem, vel decretum generale, aut speciale, expresse, vel tacite fuerint revocata, & de novo non amplius concessa, vel confirmata. *Communis, ac certa*.

Extensio, & interpretatio privilegiorum est duplex, una proprie dicta, quam aliqui *extensivam* vocant, & alia improprie dicta, seu *comprehensiva*; Seu ut loquitur Fagnanus in cap. Quod nonnullis 25. de Privileg. num. 26. & 28. duplex est interpretatio, una per *extensionem*, seu *extensivam*, & alia per *comprehensionem*, seu *comprehensivam*.

Interpretatio per *extensionem*, seu *extensio extensiva* est illa, per quam legis allicuius decisio transferitur, seu extenditur ad alium casum, vel personam, tam ultra verba legis, quam ultra mentem Legislatoris, quamvis non contra mentem ipsius, arg. cap. Cum dilectus 4. §. Nos igitur, de confirm. util. vel inutili.

Interpretatio per *comprehensionem*, & declarationem, seu *extensio comprehensiva* est illa, quæ fit ultra verba legis, sed non ultra mentem Legislatoris, & hæc tunc intervenit, quando decisio legis transferitur, seu extenditur ad alium casum, seu personam non comprehensam sub verbis legis, comprehensam tamen sub mentem Legislatoris, juxta quod l. Scire oportet 23. §. 2. ff. De excusantibus, dicitur: *Sed et si maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult*: Interpretatione enim potius menti, quam verbis legis convenire debet; cap. Humanæ aures 11. caus. 22. q. 5. ibi: *Non debet aliquis verba considerare* (intelligit nude, & simpliciter) *sed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*. Unde l. Scire 16. ff. De legibus dicitur: *Scire leges, non hoc est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem*; & cap. Certum est 88. de Regul. Juris in 6. expresse habetur: *Certum est, quod in committitur in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*. Idem dicitur in l. Non dubium 6. Cod. de Legibus. ibi: *Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem*.

Interpretatio, alia est *Auctoritativa*, seu *Authentica*, vel *Definitiva*, ac *Judicialis*, & alia *Doctrinaria*, seu *Magisterialis*. Prima est illa, quæ fit à Principe privilegium concedente, seu ejus Successore, & ipsi standum est, tam in judicio, quam extra Judicium, arg. l. Inter æquitatem 1. l. Leges 9. Si imperialis 12. Cod. de legibus, ibi: *Si enim in præsentem leges concedere soli Imperatori concessum est, & leges interpretari solo dignum Imperio esse oportet*, juncto ejus sumario, in quo præcise dicitur: *Ejus est legem interpretari, cujus est condere*; & cap. Inter alia 21. de sententia excomm. ibi: *Unde Jus prodiit. Interpretatio quoque procedat*. Secunda, scilicet *Doctrinaria*, seu *Magisterialis* est illa, quæ à Magistris, seu Doctoribus dari potest, & solet; l. unic. Cod. De professoribus urbis Constantinopolit. (Vid. verb. Lex in nov. hispan.)

Hinc interpretatio Privilegiorum *Authentica*, seu *Auctoritativa*, vel *Definitiva*, ac *Judicialis* fieri potest à solo concedente Privilegium, vel ejus Successore, seu Superiore, arg. cit. l. Inter æquitatem 1. l. Leges 9. l. Si imperialis 12. Cod. De legibus, capit. Cum venissent 12. de judiciis, ibi: *Cum super privilegiis Sedis Apostolicæ causa vertatur, nolumus de ipsis per alios judicari*, juncto ejus Summario, ibi: *Solus Papa cognoscit de dubiis Privilegiorum Apostolicæ Sedis, & non inferior: & concordat cit. cap. Inter alia 31. de venient. excomm. Interpretatio autem Doctrinaria, seu Magisterialis Privilegiorum*

potest fieri etiam à Doctoribus, seu Magistris, aliisque viris doctis, & in Jure versatis, cit. l. unic. Cod. De professoribus urbis Constantinopolit. quæ tamen interpretatio probabilitatem dumtaxat affert, non autem necessitatem, sicut prima *Auctoritativa*, seu *Authentica*, vel *Definitiva*, ac *Judicialis*.

25 Ubi verba sunt clara, nulla admittitur interpretatio; l. Licet Imperator, ff. De legatis 1. l. Ille, aut illa, ff. De legatis 111. cap. Ad audientiam 12. de Decimis, cap. Porto 7. de Privileg. ibi: *Quod notum inspectione Privilegiorum suorum plenius observare potest, & secundum quod invenieris, ita observes*, cap. Recepimus 8. eod. ibi: *Inspicienda sunt ergo Privilegia, & ipsorum tenor est diligentius attendendus. Unde Glossa communiter recepit in cap. Cum dilectus 8. de consecrat. verb. Nec juri communi in fine, sic expresse habet*: Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi, sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio.

26 Privilegium non est extendendum ab una persona, cui concessum est, ad aliam non expressam, & sic nec ab uno casu ad alium. *Communis*, per text. in cap. Sane 9. de Privileg. ibi: *Temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua auctoritate presumere, quod Romana Ecclesia alicui, certa ratione inspecta, singularibus voluit beneficiis indulgere, & velle, quod alicui 74. de Reg. Juris in 6. ibi: Quod velle, quod alicui gratiose conceditur, talem non debet alii in exemplum?* Rota recent. p. 13. decis. 70. n. 43. part. 14. dec. 238. n. 12. part. 18. tom. 2. dec. 741. n. 10. & sæpe alibi.

27 Privilegia, quæ non sunt contra Jus commune, sed solum præter, vel ultra Jus, nec cedunt in præjudicium alterius, cum sint mere gratia, seu beneficia Principis, sunt late interpretanda. *Communis*, per text. in cap. Cum olim 16. de verb. significat. ubi dicitur: *Cum beneficia Principum sint interpretanda latissime, & l. Beneficium 3. ff. de Constitutionibus. Princ. ibi: Beneficium Imperatoris, quod à divina scilicet ejus Indulgentia proficitur, quam plenissime interpretari debemus; cap. Quia circa 22. de Privileg. ibi: Ac in beneficiis plenissime sit interpretatio adhibenda, cap. Odiâ 15. de Reg. Juris in 6. ibi: Odiâ restringi, & favores convenit ampliare.*

28 Privilegia autem, quæ sunt contra Jus commune, & quæ cedunt in præjudicium alterius, sunt stricte interpretanda. *Communis*. Et quidem quoad primam partem ratio est clara, quia omnis recessus à Jure communi censetur odiosus, cap. Is qui 1. & cap. Si quis 2. de filiis Presbyt. in 6. Odiosa autem sunt restringenda, cap. Odiâ 15. de Reg. Jur. in 6. ibi: *Odiâ restringi, & favores convenit ampliare, & cap. Quæ à jure 28. de Reg. Jur. in 6. ibi: Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentia sunt trahenda*. Quoad secundam autem partem clare desumitur ex c. Super eo 15. de Officio Delegati, ibi: *Non tamen est nostra intentionis Diacessano Episcopo præjudicium generare, & concordant cap. Licet 12. de Officio Ordin. cap. Cum capella 16. cap. Pastoralis 19. & cap. Dudum 31. de Privileg. juncta Glossa, & DD. inde inferentibus, quod Pontifex nullius Juri intendat derogare, nisi fortasse hoc expresserit; adeoque privilegium cedens in præjudicium alterius, si in ipso aliud non sit expressum, est stricte interpretandum.*

29 Privilegia non attenduntur, nisi de eorum veritate doceatur. Bened. XIV. tom. 2. const. 40. incip.

30 Causarum. Privilegia Regularium à Gregorio XIII. redacta fuerunt ad terminos juris. Idem constit. 27. incip. Impositi Nobis: Privilegia recipiendi Ordines à quocumque abolita fuerint in Concilio Tridentino, ideoque nisi post confirmationem ipsius Concilii ex integro concessa fuerint, minime suffragantur. Idem const. 50. incip. Causarum. Vide verb. Ordo, Ordinare,

31 Privilegia honoris non inducunt exemptionem ab

Ordinaria Episcopi jurisdictione. Idem const. 40. incip. Causarum. Privilegium, ne locus, aut persona Ecclesiasticis Censuris subjiciantur sine mandato Sedis Apostolicæ, non probat loci, aut personarum exemptionem ab Ordinaria Episcopi jurisdictione. Idem ibid. Hujusmodi privilegia, præterquam Regularibus, Regibus, eorumque Filiis, aut ordinibus Regularibus universim concessa ad Ordinariorum sententias, & processus non extenduntur. Idem ibid.

32 Valde interest dignoscere, utrum confirmatio privilegii facta sit in forma communi, an in forma specifica. Duas inter alias solent Doctores afferre conjecturas, quibus confirmationem in forma specifica esse credunt.

33 Prima est, si tenor privilegii confirmationi fuerit insertus, quod colligitur ex cap. 8. de confirmat. util. vel inutil. At Bohemer. in decretal. lib. 2. tit. 30. §. 4. & seq. postquam ostendere conatus est textum hunc minime primam hanc conjecturam suppeditare: *In privilegiis (ait) ubique praxis obtinet, ut confirmationibus tenor privilegiorum plene inseratur, unde tamen majorem vim hæud accipiunt. Insertio siquidem privilegiorum docet scientiam ejus confirmantem habuisse, est quod certum, & solidam scientiam habuerit, inde non liquet, quam valiter habere nequit nisi matura, plena, & solida causa cognita; & debitorum excusio delibata accesserit? Quidquid vero dicat Bohem. confirmatio in forma specifica dicenda est semper ac totus tenor privilegii confirmari fuit confirmationi insertus, ut probat Rot. cor. Coccin. dec. 1573. d. n. 15. ad plur. seq. cor. Falconer. dec. 9. n. 24. de Officio Ordinari. & Territ. separat.*

34 Altera est, si confirmationi apposita clausula: *Ex certa scientia, vel ex plenitudine potestatis, vel non obstante quocumque lege, statuto, & consuetudine, que sit in contrarium*. Hanc veto conjecturam ab Auctore traditam n. 6. non male rejiciunt inter alios, Bohemer. in Decr. lib. 2. tit. 30. §. 6. & seq. Stryk Jurid. dissert. vol. 1. disp. 2. cap. 1. §. 6. Idque quia tales clausulæ hodie plerumque fere apponuntur potius de stylo, quam ea mente, ut singulare quid ex Principis intentione operari debeant.

35 Præcipua autem differentia confirmationem in forma communi inter & Confirmationem in forma specifica quod attinet ad privilegia, est, quod ex illa probatum hæud remanet ipsum privilegium confirmatum, ex hac vero privilegium confirmatum remanet probatum; Stryk. Juridic. dissert. vol. 1. disp. 2. cap. 1. §. 28.

36 De interpretatione privilegiorum, de qua pariter in hoc articulo agit Auctore consule Stryk Juridic. dissert. vol. 4. disp. 24. de privilegiorum interpretatione, qui septem integris capitulis materiam hanc tractat, & quidem accuratissime. Primo enim capitulo agit de sensu Rubricæ, secundo de privilegiorum interprete, tertio de modo interpretandi privilegia in genere, quarto de authentica, & in specie de simpliciter privilegiorum interpretatione, quinto de extensiva privilegiorum interpretatione, sexto de restrictiva privilegiorum interpretatione, & septimo de correctiva privilegiorum interpretatione.

ARTICULUS III.

Quoad ea, quæ concernunt modos, quibus Privilegia cessant, seu amittuntur.

SUMMARIUM.

- 1 Privilegium singulariter personale cessat per mortem persona privilegiata.
- 2 Non cessat tamen privilegium per mortem, seu depositionem ab Officio ipsius privilegiantis, seu concedentis privilegium absolute, & sine limitatione.

- 3 Si autem privilegium non sit absolute, & sine limitatione concessum, sed cum aliqua conditione, aut limitatione ad certum tempus, dicendo v. g. usque ad beneplacitum nostrum, tunc ipso facto cessat per mortem concedentis.
- 4 Si vero privilegium concessum sit sub clausula usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, aut hujusmodi, durat perpetuo, nisi a Concedente, vel ipsius Successore revocatur, neque cessat morte ipsius concedentis.
- 5 Item non cessat morte concedentis privilegium concessum sub clausula: Donec revocavero.
- 6 Privilegium reale cessat, & extinguitur, extincta re, cui inheret.
- 7 Intelligit tamen, si ipsa res privilegiata extinguitur sine spe restitutionis.
- 8 Si autem res privilegiata extinguitur cum spe restitutionis, tunc conservantur omnia ejus privilegia, & jura.
- 9 Sed tamen cum hoc discrimine, quod si privilegia, seu jura sint concessa ipso loco, seu pavimento, eique adhaerent, tunc semper remanent, & conservantur.
- 10 Si vero privilegia loci sint concessa principaliter ipsi edificio, aut Ecclesie, altari, & hujusmodi; tunc vel privilegia sunt talia, ut eorum usus precise requirat illum locum; & hoc casu quavis privilegia illa non omnino extinguantur, suspenduntur tamen, donec reedificetur talis Ecclesia, seu tale altare.
- 11 Vel privilegia sunt talia, ut etiam extra illum locum exerceri possint, & tunc privilegia nequidem suspenduntur pro illo tempore.
- 12 Si si Superioris auctoritate Ecclesia, Monasterium, seu Conventus, Civitas, vel oppidum transferantur ad alium locum, vel alteri uniantur, tunc non cessant ejus privilegia.
- 13 Privilegium cessat etiam, & perditur per abusum.
- 14 Privilegium autem non semper ipso jure, & facto amittitur per abusum, sed per sententiam, & revocationem est auferendum, nisi in jure aliud exprimitur.
- 15 Privilegium revocari potest saltem per sententiam, si incipit cedere in grave præjudicium aliorum, seu communitatis.
- 16 Privilegium cessat etiam cessante causa, ob quam datum est.
- 17 Hoc tamen intelligendum est solummodo de causa finali, non autem de causa duntaxat impulsiva.
- 18 Item est hoc intelligendum solum de privilegio quod derogat Juri communi, vel alterius tertii; Secus autem est de privilegio præter, vel ultra Jus commune.
- 19 Privilegium cessat etiam lapsu temporis, ad quod duntaxat fuit concessum, & restrictum.
- 20 Idem dicendum est de privilegio concessio sub conditione.
- 21 Privilegium cessat etiam per renuntiationem liberam, & expressam alicujus persone particularis, si in ejus solius favorem sit privilegium concessum.
- 22 Si autem privilegium sit principaliter concessum in favorem alicujus communitatis, dignitatis, vel loci, non potest ei renuntari a personis particularibus illius communitatis, vel loci.
- 23 Unde Clerici, nec volentes possunt renuntiare privilegio Fori.
- 24 Neque possunt renuntiare privilegio Canonis.
- 25 Item nec Religiosi possunt renuntiare privilegiis sue Religionis concessis.
- 26 Possunt tamen Prelati Regulares limitare, res-

tringere, immo etiam tollere suis subditis usum quorumcumque privilegiorum, etiam à Sede Apostolica concessorum, ita ut nequeant talibus privilegiis uti.

- 27 Sic tota potest aliqua communitas renuntiare privilegio sibi concessio, quod eidem, vel non est utile, vel est indifferens.
- 28 Secus autem, si talis renuntiatio cederet in præjudicium Ecclesie, vel communitatis, in quo casu etiam unus solus de capitulo contradicens impedire potest renuntiationem.
- 29 Si vero privilegium incipiat esse nocivum, per se cessat, ita ut observari non debeat.
- 30 Privilegia affirmativa concessa cum gravamine aliorum amittuntur per non usum via præscriptionis, si interim fuit occasio utendi privilegio, & tamen eo usus non fuerit privilegiatus scienter, sponte, ac voluntarie, & per tempus requisitum ad præscriptionem pro qualitate privilegiorum.
- 31 Unde ad id requiritur, quod privilegiatus habeat occasionem utendi privilegio.
- 32 Item quod habeat notitiam illius.
- 33 Item quod sponte, ac voluntarie, id est, sine ulla coactione, aut impedimento ullo uti omiserit.
- 34 Et hoc per tempus requisitum ad præscriptionem pro qualitate privilegiorum respectivo casus juris privilegii in specie ad instar casus respectivo in specie rei, juris, actionis, & servitutis.
- 35 Privilegia affirmativa, que sunt mere gratie, atque in nullius gravamen cedunt, per merum non usum, nunquam amittuntur.
- 36 Similiter per eandem rationem privilegia negativa mere gratiosa nunquam amittuntur per usum contrarium.
- 37 Contra autem privilegia negativa cum onere aliorum concessa amitti possunt per usum contrarium.
- 38 Ut dicta privilegia negativa amittantur per usum contrarium, requiritur tantum temporis, quantum requiritur ad præscriptionem.
- 39 Privilegium cessat, seu amittitur per revocationem concedentis, successoris, vel superioris.
- 40 Revocatio privilegiorum est duplex, una expressa, & alia tacita.
- 41 Revocatio expressa subdividitur in generalem, & specialem, & que sit utraque.
- 42 Revocatio generalis alia est communis, & alia extraordinaria, & que sit utraque.
- 43 Per clausulam communem generalem: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, in posteriore privilegio positam absque alia expressa, & specifica mentione non revocantur privilegia clausula in corpore Juris, & certis personis concessa.
- 44 Per dictam clausulam communem generalem: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, nec revocantur privilegia extra corpus Juris existentia, si fuerint concessa cum clausula, quod revocata non consentantur, nisi expresse eorum mentio fiat.
- 45 Dicta tamen privilegia revocata consentantur per clausulam: Non obstantibus quibuscumque privilegiis sub quacumque verborum forma concessis. Vel sic. Etiam si de verbo ad verbum deberet de ipsis fieri mentio, & hujusmodi.
- 46 Per nullam ex prædictis clausulis generalibus consentantur revocata privilegia per modum contractus concessa; vel remunerationem meritorum, & obsequiorum præstitorum, nisi saltem in genere addatur clausula: etiam per modum contractus fuerint concessa; Vel etiam meritorum intuitu.

- 47 Tacita privilegii revocatio quomodo fiat.
- 48 Circa tacitam privilegiorum revocationem traduntur communiter sequentes regulae & assignantur prima.
- 49 Assignatur secunda.
- 50 Assignatur tertia.
- 51 Privilegium mere gratiosum subditio concessum potest ex justa causa revocari à Concedente, vel ejus Successore, seu Superiore valide, & licite; Sine justa causa autem valide quidem, sed illicite.
- 52 Si autem privilegium mere gratiosum sit concessum non subditio, nequit amplius revocari.
- 53 Hinc privilegia, que Imperatores, alique Principes concesserunt Ecclesiis, nequeunt amplius revocari.
- 54 Privilegia remuneratoria, vel per modum pæcii, seu contractus onerosi concessa etiam subditio nequeunt amplius revocari, nisi ex gravi causa spectante ad bonum commune, & cum compensatione aliqua Juris ablati.
- 55 Privilegia Regularium non sunt omnia à Concilio Tridentino revocata, sed plurima ab eodem sunt confirmata.
- 56 Omnia, & singula privilegia regularium ante Concilium Tridentinum eis concessa, qua adversantur decretis in sess. 25. de Regularibus, & Monialibus, sunt revocata ab eodem Concilio.
- 57 Item revocata sunt privilegia illa Regularium ante Tridentinum eis concessa, que adversantur præcedentium Sessionum decretis habentibus prædictam, vel similem clausulam privilegiorum revocatoriam: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, &c.
- 58 An revocata consentantur non solum illa Regularium privilegia, que adversantur alicui ex decretis Concilii Tridentini. cit. sess. 25. de Regularibus, vel alicui ex Decretis præcedentium sessionum habentibus prædictam expressam clausulam privilegiorum revocatoriam: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, sed illa quoque, que adversantur Decretis aliarum Sessionum (excepta dicta sess. 25. de Regularibus) & clausulam privilegiorum revocatoriam expressam non habentibus.
- 59 Regulares non possunt nec in foro conscientie uti suis privilegiis, que sunt expresse revocata à Concilio Tridentino.
- 60 Immo Regulares non possunt in foro conscientie, uti suis privilegiis à Concilio Tridentino expresse revocatis, nec in locis, ubi Tridentinum Concilium non est receptum.
- 61 Nec secundum communem sententiam possunt Regulares in foro conscientie uti suis privilegiis solum implicite à Tridentino revocatis.
- 62 Quamvis multa Regularium privilegia, tum per Concilium Tridentinum, tum per varias Pontificias Constitutiones fuerint vere revocata, adhuc tamen multa, & plurima alia existunt, que non sunt revocata.
- 63 Alia de Privilegiis, remissive.
- 64 Afferitur Constitutio Clem. XII. sedulo attendenda, per quam moderantur nonnulla Regularibus, & Mendicantibus à Bened. XIII. concessa.
- 65 Additiones inseruntur.

Privilegium singulariter personale cessat per mortem persone privilegiatae; Communiter, per text. in cap. Privilegium 7. de Regul. Juris in 6. ibi: Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona, & concordat l. In omnibus causis 68. & l. Privilegia quedam 196. ff. de Regul. Juris.

Non cessat tamen privilegium per mortem, seu depositionem ab Officio ipsius privilegiantis, seu concedentis privilegium absolute, & sine limitatione: Regula enim generalis est, & communiter recepta, quod Gratia, uti est privilegium, absolute concessa & acceptata non cesset per mortem, aut depositionem ab Officio ipsius concedentis; cap. Si super Gratia 9. de Offic. Jud. Deleg. in 6. & cap. Si cui 26. de Præbend. in 6.

Si autem Privilegium non sit absolute, & sine limitatione concessum, seu cum aliqua conditione, aut limitatione ad certum tempus, dicendo v. g. Usque ad beneplacitum nostrum, tunc ipso facto cessat per mortem concedentis, per mortem enim concedentis omnino etiam extinguitur ipsius beneplacitum. Communis, textu expresso in cap. Si gratiose 5. de Rescriptis in 6. ibi: Hujusmodi Gratia per ejus obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat.

Si vero privilegium concessum sit sub clausula: Usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, aut hujusmodi, durat perpetuo, nisi à Concedente, vel ipsius Successore revocetur, neque cessat morte ipsius Concedentis; Communis, textu expresso in cit. cap. Si gratiose 5. de Rescriptis in 6. ibi: Secus autem si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum Gratia concedatur prædicta; Tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi à Successore fuerit revocata.

Item non cessat morte concedentis privilegium concessum sub clausula Donec revocavero; Suarez lib. 8. de Legibus c. 32. num. 2. & seq. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 11. post Navarrum, Covarrubiam, & alios, Pirhing. lib. 5. Decret. tit. 25. num. 172. Reiffenstuel ib. num. 160. & lib. 1. Decret. tit. 3. n. 261. ubi testatur de Comuni, Barb. clausula 43. num. 21. Menochius de Arbitr. Judic. lib. 1. q. 69. num. 12. citans Communem aliorum contra Bartholum; Et ratio est, quia ad revocationem requiritur actus novus positivus contrarius, qualis non habetur per solum mortem concedentis; Nam, ut recte argumentatur Menochius consil. 360. num. 9. cum aliis, aliud est voluntatem cessare, & aliud eam revocare; Voluntatis cessatio fit per mortem; quia morte finitur voluntas hominis; l. Locatis 4. ff. Locati; Voluntatis autem revocatio requirit factum quoddam, nempe expressionem ipsius revocationis.

Privilegium reale cessat, & extinguitur, extincta re, cui inheret. Communis, per text. in cap. Accessorium 42. de Regul. Juris in 6. ibi: Accessorium naturam sequi congruit principalis.

Intellige tamen cum hac distinctione, nempe quod privilegium reale cesset per extinctionem rei, cui inheret, si ipsa res privilegiata extinguitur sine spe restitutionis, prout contingit, si res, Ecclesia, vel alius locus destruat Superioris auctoritate absque ulla spe restitutionis, aut reparationis; tunc enim extinguitur etiam, & perditur omnia privilegia ei coherentia, tamquam sublata in perpetuum à fundamento, cui inheret, nec amplius dici possunt illius Ecclesie Clerici, aut illius oppidi cives, vel municipes, ut colligitur ex cap. Placuit 26. dist. 1. de consecrat. & cap. Ex hoc diximus 9. caus. 16. quest. 7. Sic Glossa communiter recepta in cap. Privilegium 7. de Reg. Jur. in 6. Pirhing. loc. cit. num. 198. Reiffenstuel loc. cit. num. 171. & 172. & communis aliorum.

Si autem res privilegiata extinguitur cum spe restitutionis, prout contingit, si res, Ecclesia, vel alius locus ab hostibus destruat, aut occupetur, seu casu fortuito comburatur cum spe refectionis, aut reedificationis, tunc conservantur omnia ejus privilegia, & jura, ut colligitur ex cap. Pastoralis 24. caus. 7. q. 1. & cap. Quæ semel 4. caus. 19. q. 3. Sed tamen cum hoc discrimine, quod, si privilegia, seu jura sint concessa ipsi loco, seu pavimento, eique adhaerent,

reant, ut est consecratio, & beneficio loci sacri, & privilegia inde provenientia, nempe quod locus ille non possit vendi, nec converti in usus profanos, & hujusmodi, tunc semper remanent, & conservantur, quia eorum fundamentum non est destructum, l. Ede Sacra 73. ff. de contrabenda emptione, ibi: Ede Sacra terrenotum diruta, locus adificii non est profanus; Reiffenstuel loc. cit. num. 173; Pirhing, loc. cit. num. 199. Suarez lib. 8. de legibus cap. 5. num. 6. & alii passim.

10 Si vero privilegia loci sint concessa principaliter ipsi edificio, aut ecclesie, altari, & hujusmodi, tunc vel privilegia sunt talia, ut eorum usus precise requiratur illum locum, v. g. ut intra talem Ecclesiam, seu ad tale Altare fiat, ut Indulgentia concessa visitantibus talem Ecclesiam, Indulgentia pro celebrantibus ad tale Altare privilegiatum; & hoc casu, quamvis privilegia illa non omnino extinguantur, suspenduntur tamen, donec readificetur talis Ecclesia, seu tale Altare; arg. cap. Pastoralis 24. caus. 7. quest. 1. & l. Cum loca 36. ff. de Religios. & sumpr. funer. Pirhing, loc. cit. num. 199. Reiffenstuel loc. cit. num. 164. Suarez loc. cit. num. 6. Zoësius lib. 5. Decretal. tit. 33. de privileg. num. 53. & alii communiter.

11 Vel privilegia sunt talia, ut etiam extra illum locum, v. g. extra illam Ecclesiam alibi exerceri possint, & tunc privilegia nec quidem suspenduntur pro illo tempore, quia manent in personis, quæ uti possunt talibus privilegiatis locis; Sic Episcopus, vel Canonicus alicujus Ecclesie occupata, vel destructa ab infidelibus, seu Hæreticis, adhuc retinet denominationem ab illa Ecclesia, quamvis extra illam resideat, & gaudet privilegiis ipsi concessis ratione Episcopatus, vel Canoniciatus talis loci, ut patet de Episcopo Gebennensi, seu Genevensi, qui cum suis Canonicis fruatur titulo, & Privilegiis Ecclesie Gebennensis, seu Genevensis, quamvis cum ipsis resideat Annesii in Sabaudia, & sic de aliis; Pirhing, loc. cit. n. 199. Reiffenstuel loc. cit. num. 175. Suarez loc. cit. num. 6. & alii passim.

12 Sic si Superioris auctoritate Ecclesia, Monasterium, seu Conventus, Civitas, vel Oppidum transferatur ad alium locum, vel alteri uniat, tunc non cessant ejus privilegia, sed una cum Ecclesia, Monasterio, seu Conventu, Civitate, vel Oppido transferuntur, quando non sunt concessa ratione situs; sed directe ipsis Ecclesie, Monasterio, seu Conventui, Civitati, vel Oppido, ejusque nomine; colligitur ex cap. Et temporis 48. & cap. Postquam 49. caus. 16. quest. 1. & cap. Qui Monasterium 2. de Religiosis Domibus; Ita Glossa communiter recepta in cit. cap. Privilegium 7. Reg. Jur. in 6. Pirhing, loc. cit. num. 163. Suarez loc. cit. n. 4. & Reg. Azorius part. 1. lib. 5. cap. 22. quest. 11. & alii communiter.

13 Privilegium cessat etiam, & perditur per abusum, textu expresso in cap. Ubi ista 7. dist. 84. ibi: Nam privilegium Dignitatis meretur amittere, qui permittit sibi abutitur potestate, cap. Privilegium 63. caus. 11. quest. 4. ibi: Privilegium omnino meretur amittere, qui permittit sibi abutitur potestate, & cap. Ut Privilegia 13. de privilegiis, ibi: Quia privilegium meretur amittere, qui permittit sibi abutitur potestate.

14 Privilegium autem non semper ipso Jure, & facto amittitur per abusum, sed per sententiam, & revocationem est auferendum, nisi in Jure aliud exprimat. Zoësius lib. 5. Decret. tit. 33. de Privileg. num. 38. Reiffenstuel ibid. num. 179. Suarez & alii, per text. in cit. cap. Ut privilegia 24. de Privileg. ibi: Quædam in eisdem Privilegiis duximus declarare ne minus sane intellecta pertrahantur ad abusum, propter quem possint merito revocari.

15 Privilegium revocari potest saltem per sententiam, si incipit cedere in grave præjudicium aliorum, seu Communitatis. Colligitur ex cap. Suggestum 9. de Decimis, ubi Summarium sic expresse habet: Revoca-

tur privilegium si exposit factio incipit enormiter exere nocivum, & cap. Cum ad hoc sint 16. de Clericis non residentibus, in cuius summario sic expresse dicitur: Si Ecclesia patitur Ministrorum defectum, Privilegiati super absentia per subtractionem proveniunt redire coguntur.

Privilegium cessat etiam cessante causa, ob quam datum est; Communis, per textum in cap. Cum cessante 60. de appellat. ibi: Cum cessante causa, cesset effectus.

Hoc autem intelligendum est solummodo de causa finali, quæ est principalis causa privilegii, sine qua princeps privilegium nullo modo concessisset, & à quo valor privilegii pendet in fieri, & conservari; non autem de causa dumtaxat impulsiva, quæ secundario solum movet Principem ad concessionem privilegii, adeoque, ipsa cessante, non cessat privilegium, cum in ea non nitatur. Abbas in cap. Suggestum 9. de Decimis num. 5. Suarez lib. 8. de legibus cap. 30. num. 1. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel loc. cit. n. 184. Pirhing, loc. cit. n. 168. & alii passim.

Item est hoc intelligendum solum de Privilegio, 18 quod derogat Juri communi, vel alterius tertii, ad cujus etiam conservationem requiritur causa; secus autem est de privilegio præter, vel ultra Jus commune, seu quod continet merum beneficium Principis, & ad sui conservationem non requirit aliam causam præter liberalem Principis concessionem; Tale enim privilegium perseverat, etiamsi causa, ob quam concessum fuit, cessaverit; Suarez loc. cit. num. 169. Reiffenstuel loc. cit. num. 185. Zoësius loc. cit. num. 32. & alii per text. in cap. Decet 16. de Regul. Juris in 6. ibi: Decet concessum à Principe beneficium esse manurum, juncta Glossa ibid. verb. Decet, cum pluribus Juribus ab ipsa adductis.

Privilegium cessat etiam lapsu temporis, ad quod dumtaxat fuit concessum, & restrictum, quod verificatur solummodo in privilegio temporalis, & non in perpetuo. Communis, arg. cap. De Causis 4. de Offic. Judic. Delegat. Idem dicendum est de privilegio 20 concessio sub conditione. Nam ipsum est solum concessum pro tanto tempore, quanto duraverit ipsa conditio, adeoque, cessante conditione, cessat etiam privilegium, cum sit finitum tempus, pro quo fuit concessum. Communis.

Privilegium cessat etiam per renuntiationem liberam, & expressam alicujus persone particularis, si in ejus solius favorem sit Privilegium concessum. Communis, text. expresso in cap. Si de terra 6. de privilegiis, ibi: Cum liberum sit unicuique Juri suo renuntiare, & l. Si quis 29. Cod. de pactis, ibi: Regula est Juri antiqui, omnes licentiam habere, iis que pro se introduita sunt renuntiare.

Si autem privilegium sit principaliter concessum 22 in favorem alicujus Communitatis, Dignitatis, Loci, v. g. Civitatis, Ecclesie, vel Monasterii, non potest ei renuntiare à personis particularibus illius Communitatis, vel Loci. Communis, textu expresso in c. Si diligenti 52. de foro competent. ibi: Cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publice rit indultum, cui privatorum pacto derogare non potest.

Unde Clerici nec volentes possunt renuntiare privilegio Fori; Communis, per text. in cit. cap. Si diligenti 12. de Foro comper. Neque possunt renuntiare privilegio Canonici; Communis, textu expresso in cap. Contingit 36. de sententia excomm. ibi: "Cum nulle Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus."

Item nec Religiosi possunt renuntiare privilegiis 25 suæ Religionis concessis, ut privilegio Exemptionis, sine consensu Papæ, qui eos ab aliorum Ordinariorum jurisdictione exemit, & suæ gubernationi ac protectioni immediate subjecerit; arg. cap. Cum tempore

5. de Arbitr. n. 2. Suarez lib. 8. de legibus cap. 53. n. 2. Pirhing. l. c. n. 174. Reiffenstuel l. c. n. 193.

26 Possunt tamen Prælati Regulares limitare, restringere, immo etiam tollere suis subditis usum quorumcumque Privilegiorum etiam à Sede Apostolica concessorum, ita ut nequeant talibus privilegiis uti; Sic concessit Leo X. Minoribus, & Augustinianis, Clemens IV. Cisterciensibus, & Gregorius XIII. Societati Jesu; Compend. privilegior. Mendicant. verb. Privilegia Fratrum §. 26. Miranda in Manual. 4. 2. q. 43. art. 4. Rodriguez tom. 1. qq. Regular. q. 9. art. 2. Tamburin. de Jure Abbatum t. 1. disp. 16. q. 9. Reiffenstuel loc. cit. n. 199. & 200. Lexana in Summa qq. Regular. tom. 2. cap. 18. num. 56. & alii; & ad hoc faciunt cap. Cum accessisset 8. de Constitutionibus; cap. Pro illorum 22. de præbend. Et hic locum habet Regula, quod favori suo il, quibus competit, renuntiare possunt; arg. l. Si quis 39. Cod. de pactis, cap. Si de terra 6. de privilegiis; Et quod nemo beneficio sibi concessio uti cogitur; arg. l. Invito, ff. de Regulis Juris.

27 Sic potest tota aliqua Communitas, v. g. Civitas, Prælatum cum Capitulo, & hujusmodi renuntiare privilegio sibi concessio, quod eidem vel non est utile, vel est indifferens; per cit. cap. Cum accessisset 8. de Constitutionibus. c. Pro illorum 22. de Præbend. cap. Si de terra 6. de privileg. l. Si quis 29. Cod. de pactis, l. Invito, ff. de Regulis Juris.

28 Secus autem, si talis renuntiatio cederet in præjudicium Ecclesie, vel Communitatis; in quo casu etiam unus solus de Capitulo contradicens impedire potest renuntiationem; Innocent. in cap. Accedentibus 15. de privilegiis, & Glossator, Abbas, Alexander de Nevo ibid. in additionibus, Pirhing, loc. cit. num. 174. Reiffenstuel loc. cit. num. 196. & alii passim.

29 Si vero privilegium incipiat esse nocivum, per se cessat ita ut observari non debeat; Communis, per text. in cap. Quod ob gratiam alicujus conceditur, in 6. ibi: Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

30 Privilegia affirmativa concessa cum gravamine aliorum, v. g. exigendi Decimas, imponendi tributum, & hujusmodi amittuntur per non usum via præscriptionis, si interim fuit occasio utendi privilegio, & tamen eo usum non fuerit privilegiatus scienter, sponte, ac voluntarie & per tempus requisitum ad præscriptionem pro qualitate privilegiorum; Communis per text. in cap. Cum super 25. de Offic. Delegat. ibi: Cum noluerit, quod poterit, & leg. Nundinis 1. ff. de Nundinis, ibi: Nundinis impetratis à Principe non utendo, qui meruerit, decem tempore usum amittit, & cap. Si de terra in 6. de Privileg. ibi: De privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahente voluistis, cum liberum sit unicuique suo Juri renuntiare, eoque modo non potestis eos in hac parte tueri.

31 Dicitur tamen notanter: Si interim fuit occasio utendi privilegio, & tamen eo usum non fuerit privilegiatus, quia si occasio utendi privilegio nunquam se offerat, illud per non usum non amittitur, quamvis per mille annos nullus exerceatur usus Privilegii, Communis arg. l. Archidiclinus ff. de servitut. Rustic. prædior.

32 Item notanter dicitur scienter, quod quis sciat se habere tale privilegium, & tamen oblata sibi favorabili occasione, eo uti omittit; Quia qui ignorat se habere tale privilegium, illud non amittit, si eo uti omittat. Communis arg. l. Is, qui usufructum 20. ff. Quibus modis usufructus, vel usus amittitur.

33 Item notanter dicitur sponte, ac voluntarie, quia si quis violenter, aut ob infirmitatem, vel absentiam ab usu impeditur, privilegium non amittit; Communis

nis cum Glossa in cap. Ut privilegia 24. de privilegiis, verb. Semel in anno.

Item notanter dicitur: Et per tempus requisitum ad præscriptionem pro qualitate privilegiorum, quia tempus ad præscriptionem requisitum est varium pro diversitate rerum, Jurium, Actionum, & Servitutum, ut patet ex dictis sub verb. Præscriptio, §. 6. Unde cum Jura, Actiones, Privilegia, & similia veniant nomine rerum immobilium, ex dictis sub dict. verb. Præscriptio §. 5. num. 3. & 4. Et res immobiliæ privatorum cum titulo, & bona fide præscribantur decennio inter præsentem, & 20. annis inter absentes, ex dictis ibid. n. 1. sine titulo autem, sed cum bona fide præscribantur triginta annis, ex dictis ibid. num. 12. Et res immobiliæ Ecclesie Romanæ præscribantur dumtaxat spatio 100. annorum, ex dictis ibid. num. 13. Et res immobiliæ aliarum Ecclesiarum inferiorum, & aliorum locorum priorum, seu causarum pariarum præscribantur spatio 40. annorum, ex dictis ibid. n. 15. Et res immobiliæ Ordinum, & Monasteriorum Regularium præscribantur sola centenaria, ex dictis ibid. n. 16. Sic pariformiter est discurrendum de tempore requisito ad præscriptionem cujusvis respective privilegii in specie; Communis.

35 Privilegia affirmativa, quæ sunt mere gratiæ, atque in nullius gravamen cedunt, v. g. celebrandi ante auroram, absolvendi, dispensandi, & hujusmodi, per merum non usum nunquam amittuntur; Glossa in c. Ut privileg. 24. de Priv. verb. Semel in anno; Engel lib. 5. Decret. tit. 22. num. 19. Pirhing, ibid. num. 176. Reiffenstuel ibid. num. 707. Bassæus verb. Privilegium 3. n. 16. Suarez, Layman, Bonacina, Rodríguez, & alii passim. Et ratio est, quia mere non usus est actus libera facultatis, qui non inducit præscriptionem, seu renuntiationem. In facultatibus enim non datur præscriptio, ex dictis sub verb. Præscriptio §. 1. n. 17.

36 Similiter per eandem rationem privilegia negativa mere gratiosa, v. g. non jejunandi, nunquam amittuntur per usum contrarium; Suarez lib. 8. de legibus c. 25. n. 22. Pontius lib. 8. de Matrimonio cap. 18. n. 25. Pirhing, loc. c. n. 183. Reiffenstuel loc. cit. n. 212. cum communi aliorum.

37 E contra autem privilegia negativa cum onere aliorum concessa, v. g. non solvendi decimas, seu tributum, amitti possunt per usum contrarium. Suarez l. c. cap. 34. n. 20. & c. 35. n. 1. & 2. Layman lib. 1. tract. 9. c. 23. Pirhing. l. c. n. 178. Reiffenstuel loc. cit. num. 213. cum communi, & certa aliorum; arg. c. Cum accessisset 8. de Constit.

38 Ut dicta privilegia negativa, quæ in non faciendò consistunt, & aliis onerosa sunt, ut est privilegium immunitatis à solvendis decimis, vel tributis, privilegium exemptionis à Jurisdictione Ordinarii amittuntur per usum contrarium, v. g. voluntarie, libere, ac sponte solvendo decimas, vel tributa, sistendo se tribunali, seu Jurisdictioni Ordinarii sine protestatione, requiritur tantum temporis, quantum requiritur ad præscriptionem, juxta dicta supra n. 34.

39 Privilegium cessat, seu amittitur per revocationem Concedentis, Successoris, vel Superioris. Communissima. Revocatio autem privilegii duobus modis fieri potest, scilicet expresse, vel tacite, seu duplex est revocatio, una expressa, & alia tacita. Communis. Revocatio expressa subdividitur in specialem & generalem. Specialis est, quando istud, vel illud privilegium in specie revocatur. Generalis est quando in genere revocantur omnia privilegia alicui constitutioni, & decreto contraria. Sic Doctores communiter. Revocatio Generalis alia est communis, & alia extraordinaria; Revocatio generalis communis est, quæ fit per clausulam generalem communem dicentem, v. g. Non obstantibus quibuscumque privilegiis; Revocatio generalis extraordinaria

est, quæ fit per clausulam generalem, extraordinariam, & fortiorum, dicendo v. g. *Non obstantibus privilegiis quibuscumque sub quacumque verborum forma concessis*, Vel sic: *Etiamsi de verbo ad verbum deberet de ipsis fieri mentio, & hujusmodi. Communis.*

43 Per clausulam communem generalem: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis* in posteriore privilegio positam absque alia expressa, & specifica mentione non revocantur privilegia clausa in corpore Juris, & certis personis concessa; *Communis.* Et ratio est, quia correctio Jurium est evitanda, quantum fieri potest, nec est facile præsumenda, nisi clare exprimitur, *arg. cap. Cum expediat, de elect. in 6.* adeoque per generalem derogationem, nisi clare exprimitur, non censetur tolli Jus speciale prius habens rationem specialem; Si enim hoc Princeps voluisset, expressisset. *Arg. c. Inter corporalia 21 de translatione Episcopii 5.* Sed neque istud, c. Ad audientiam 12. *De Decimis, & cap. Quia circa 21. de privileg.*

44 Per dictam clausulam communem generalem, *Non obstantibus quibuscumque privilegiis*, nec revocantur privilegia extra corpus Juris existentia, si fuerint concessa cum clausula, quod revocata non censeantur, nisi expresse eorum mentio fiat; *Communis.* Dicta tamen privilegia revocata censentur per clausulam: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis sub quacumque verborum forma concessis.* Vel sic: *Etiamsi de verbo ad verbum deberet de ipsis fieri mentio, & hujusmodi; Communis.* & clare patet ex ipsamet verbis clausuram.

45 Peri nullam ex prædictis clausulis generalibus censetur revocata privilegia per modum contractus concessa, vel in remuneratione meritorum, & obsequiorum præstitorum, nisi saltem in genere addatur clausula: *Etiamsi per modum contractus fuerint concessa, vel etiam meritorum intuitu; Communis.* Et ratio est, quia talis revocatio credit in præjudicium tertii auferendo ei jus questum, adeoque non præsumitur in Principe voluntas revocandi, nisi exprimitur; tum quia talia privilegia ordinarie revocari non possunt, nisi ex causa gravi ad bonum publicum pertinente, adeoque revocata censeri non debent nisi specialiter exprimat.

47 Tacita autem privilegii revocatio fit per actum Principis directè contrarium privilegio, seu qui non potest subsistere, vel non habere effectum in eodem sine revocatione privilegii antea concessi; dummodo possit præsumi eum scire privilegium antea concessum, illiusque recordari. *Communis, argum. l. Idem Ulpianus, ff. de excusationib. Tutorum &c.*

48 Unde circa hanc etiam privilegiorum revocationem traduntur communiter sequentes Regule. Prima est: per legem generalem, quæ non expresse revocatur privilegia, censentur tacite revocata privilegia in corpore Juris contenta; non autem censentur revocata privilegia extra corpus Juris existentia, nisi eorum mentio specialis fiat. Et ratio primæ partis est, quia cum privilegia in corpore Juris contenta pertinent ad Legem universalem, præsumitur Legislatorem ea scire, adeoque revocare legem priorem continentem privilegium Juris communis, quamvis in posteriore lege non exprimat. Ratio autem secundæ partis est, quia cum privilegia extra Corpus Juris existentia continent Jus privatum, & particulare factum; Legislator vero non præsumatur scire Jura privata, aut particularia facta, *cap. Licet 1. de Constit. in 6.* sequitur aperte, quod non censetur ea velle revocare, nisi ea exprimat.

49 Secunda Regula est. Privilegium prius concessum non tollitur, nec tacite revocatur per privilegium posterius priori contrarium, nisi illius prioris fiat mentio specialis; Cum enim privilegium sit Jus privatum, & particulare, præsumitur, quod Princeps

concesserit privilegium secundum ex ignorantia primi, si de illo nullam mentionem fecit; Adeoque secundum concessum privilegium censetur subreptitium, & invalidum, *arg. c. Cum ordine 6. de Rescriptis cap. Ex parte 1. de Officio Delegi cap. Veniens 19. de prescriptionibus, cap. Licet 1. de Constitutionib. in 6. & late dicitur Glossa in cap. Sicuror. de Rescriptis, verb. Mandatum.*

Tertia Regula. Per sententiam Jarum contra privilegium à Principe, qui potuit privilegium concedere, non revocatur. privilegium tacite, sed potius reprobat, id est, statimque defectuosum, seu invalidum rejicitur, & si non tamquam prius validum anfertur, seu tacite revocatur, *arg. cap. Suborta 21. de sent. & re judicata.*

Privilegium mere gratiosum subdito concessum potest ex justa causa revocari, & concedente, vel ejus Successore, seu Superiore valide, & licite; sine justa causa autem valide quidem, sed illicite, *Communissima, & satis clara*, unde non indiget probatione.

Si autem Privilegium mere gratiosum sit concessum non subdito, nequit amplius revocari. *Communis cum Pirhing. loc. cit. num. 186. Suarez lib. 3. de Legibus cap. 37. num. 2. Reiffenstuel loc. cit. num. 121.* Et ratio est, quia postquam privilegium fuit acceptatum, transit in pactum, seu contractum, quo proprie dictum Jus acquiritur privilegio, quod non subdito auferri nequit; Tale enim privilegium concessum non subdito, quamvis ab initio sit contractus voluntarius, exposit facto tamen est necessitatis ut dicit Glossa in c. Decretis 16. de Regul. Juris in 6. verb. Nota ulterius in fine, juxta illud vulgatum: *Quod à principio est voluntatis, arg. l. Sicuror. Cod. de obligationib. & actionib. (verb. volunt.)*

Hinc per dictam rationem privilegia, quæ Imperatores, alique Principes concesserunt Ecclesiis, nequeunt amplius revocari; Sic expresse Glossa in c. cap. Decret. Pirhing. loc. cit. num. 186. Reiffenstuel loc. cit. num. 121. Layman loc. cit. cap. 23. numer. 25. & alii passim.

Privilegia remuneratoria, vel per modum pacti, seu contractus onerosi concessa etiam subdito nequeunt amplius revocari, nisi ex gravi causa spectante ad bonum commune, & cum compensatione aliqua Juris ablati; Pirhing. loc. cit. num. 187. Reiffenstuel loc. cit. num. 122. Engel loc. cit. n. 22. Suarez loc. cit. c. 37. n. 5. & seq. & alii passim; Et ratio est, quia etiam Princeps tenetur servare pacta præsertim onerosa inita cum subditis; *arg. cap. 1. de probationibus:* adeo ut ab eis recedere non possit, etiam de plenitudine potestatis, ut notat Fagnanus in cap. Antigonus n. 7. de pactis; Et ratio est, quia Princeps ex pacto præsertim oneroso obligatur jure naturali, ac divino, cui, & Papa, & Imperator subjungitur; Et licet ob publicam necessitatem rescindere possit contractum cum subdito in initio, non tamen potest justè illum omnino privare re sua sine ulla compensatione, cum Princeps non sit absolutus Dominus rerum subditi.

Privilegia Regularium non sunt omnia à Concilio Tridentino revocata, sed plurima ab eodem sunt confirmata; *Communis* textu expresso in eodem Concilio *res. 25. de Regularib. cap. 20. ad finem*, ubi in plurimis privilegia Regularium firma, & illata asserens, ac denno confirmans sic expresse habet: *In ceteris omnibus præfatorum Ordinum Privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illata.*

Omnia, & singula privilegia Regularium ante Concilium Tridentinum eis concessa, quæ adversantur decretis in *res. 25. de Regularib. & Monialibus* sunt revocata ab eodem Concilio. *Communis*, per text. ejusdem Concilii *cit. res. 25. de Regularib.*

cap. 23. ubi ab omnibus Regularibus "omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari præcipit &c. Non obstantibus eorum omnium & singulorum privilegii sub quibuscumque verborum formulis conceptis, ac maxè magnam appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Constitutionibus, & Regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus &c."

Item revocata sunt privilegia illa Regularium ante Tridentinum eis concessa, quæ adversantur præcedentium Sessionum decretis habentibus supradictam, vel similem clausulam privilegiorum revocatoriam *Non obstantibus quibuscumque privilegiis &c. Communis*; Et ratio est, quia ubi adest expressa clausula privilegiorum revocatoria, de revocatione dubitare non licet; In claris enim, & expressis non datur interpretatio, vel voluntatis conjectura; Licet Imperator ff. *De Legatis l. Et ille*, aut illa ff. *De Legatis lll. Unde Glossa*, communiter recepta in cap. Cui dilectis 8. *de consuetudine verb.* Nec juri communi: sic expresse habet: *Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi, sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio, & concordant cap. Ad audientiam 12. de Decimis & cap. Porro 7. de privilegii.*

An autem revocata censentur non solum illa Regularium privilegia, quæ adversantur alicui ex decretis Concilii Tridentini *cit. res. 25. de Regularibus*, vel alicui ex decretis præcedentium Sessionum habentibus supradictam expressam clausulam privilegiorum revocatoriam: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis, &c.* sed illa quoque, quæ adversantur, seu contraria sunt decretis aliarum Sessionum (excepta dicta *res. 25. de Regularibus*) & clausulam privilegiorum revocatoriam expressam non habentibus, ita ut per bullas confirmatorias privilegiorum Regularium nunquam censentur confirmari, sed potius pro invalidis declarari per illam clausulam: *Dummodo Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adversentur?* Non conveniunt Doctores; Donatus enim tom. 1. part. 1. tractat. 11. q. 15. & n. 4. Peyrin. in declaratione privilegiorum tom. 2. in Constitut. 1. Gregorii XIII. numer. 3. & alii tenent sententiam affirmativam; Suarez autem lib. 8. de Legibus cap. 18. in fine, Rodriguez tom. 1. qq. Reg. q. 6. art. 7. Miranda Manual. Prælat. tom. 2. q. 8. art. 3. vers. Sed alii: & plures alii, signanterque Reiffenstuel lib. 5. Decret. tit. 33. & num. 116. ad num. 218. & à num. 139. ad 146. defendunt sententiam negativam, dicentes, quod illa Regularium privilegia, quæ adversantur, seu contraria sunt decretis aliarum Sessionum (excepta dicta *res. 25. de Regularibus*) & clausulam privilegiorum revocatoriam expressam non habentibus, probabilissime non censentur revocata ab eodem Concilio, nec eximuntur à confirmatione per illam clausulam: *Dummodo Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adversentur*; vide ipse Reiffenstuel loc. cit. ubi pluribus, & Juribus adductis, contrariisque argumentis solutis, solide, & fusc hanc sententiam propugnare utitur. Vide not. ad n. 16. art. 2.

Regularis non possunt nec in foro conscientie uti suis privilegiis, quæ sunt expresse revocata à Concilio Tridentino. *Communis, ac certa.* Sententia enim contraria fuit expresse damnata ab Alexandro VIII. die 18. Martii 1666. propositione 36. in ordine: *ibi Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Conc. Trid. Immo Regularis non possunt in foro conscientie uti suis privilegiis à Concilio Tridentino expresse revocatis, nec in locis, ubi Trident. Conc. non est receptum. Sic cum aliis solide probat Viva 61 ad dictam propositionem 36. num. 10. Qui ibidem*

ex communiore dicit, neque posse Regulares in foro conscientie uti suis privilegiis, solum implicite à Trido. revocatis, quia Tridentinum sendendo legem in contrarium illa revocavit implicite, & in Bullis confirmatoris privilegiorum Regularium addi solet clausula illa *Dummodo Decretis Concilii Trid. non adversentur*, adeoque neque illi possunt Regulares uti in foro conscientie, quidquid in contrarium docerit Rodriguez cum Miranda, & Portello, quos postea cum aliis sequutus est Reiffenstuel loc. *supr. cit.*

Quamvis multa Regularium privilegia, tum per Conc. Tridentinum, tum per varias Pontificias constitutiones fuerint vere revocata; Adhuc tamen multa, & plurima alia existunt, quæ nec dicto Conc. Trid. nec dictis Constitutionibus Pontificiis adversantur, seu contraria sunt; & consequenter non sunt ab eis revocata, uti clare patet in compendiis privilegiorum Regularium recentè editis, & juxta decreta Conc. Trid. & aliarum Pontificiarum Constitutionum reformatis, & signante in nostro privilegiorum compendio primitus compilato ab Alfonso de Casarubio Hispano, & postea per Hieronymum de Sorbo omni debita cura revententia, & obedientia, erga Sedem Apostolicam juxta decreta Conc. Trid. & aliarum Pontificiarum Constitutionum reformato, in quo nullum privilegium à Concilio Trid. vel aliqua Pontificia Constitutione usque ad Clementem VIII. (sub quo reformatum fuit) reperitur revocatum, & tamen plurima in illo reperuntur privilegia, etiam nulli posteriori Constitutioni Pontificia contraria, nec per usum contrarium, vel non usum, revocationem, præscriptionem, vel aliam viam amissa. Sic Reiffenstuel lib. 5. n. 232. Kacemberger l. 4. n. 441. & alii.

Alia, vide verb. *Oracula vixæ vocis per tot.* Hic autem pro complemento tandem sit.

Constitutio Clementis XII. in qua nonnullis Apostolicis Literas Ordinibus Regularibus, & Mendicantibus à pie mem. Benedicto Papa XIII. concessa moderatur, ac reducit ad terminos juris communis Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Romatus Pontifex, quem celestis Paterfamilias Vineæ suæ custodiendæ præposuit, diu noctuque operarios, impigre in ea laborantes, circumspicit, congruam, immo amplam mercedem eis largiturus, ut Vineæ probis Agriculis hoc pacto ad eam malacius excolendam incumbantibus, uberiori proventu fructificare possint.

Sane fel. recordat. Prædecessor noster Benedictus XIII. strenuas Ordinum Regularium, & Mendicantium cohortes, hanc Domini vineam, acque agrum Ecclesiæ indesinenter colere conspicuus, ac paternè erga eos animo affectus, quo etiam Nos ipsi utique afficimur, plura eis privilegia concessit raptus, ea pari voluntate universim excipienda; Quod statem secus evenisse Nos ad supremi Sacerdotii apicem disponente Domino, evecti, ægre intelleximus, inde nimirum præter omnem expectationem nostram variis litibus, & controversiis exortis, ac nisi opportune occurratur, fortasse impostorum exortibus; Quare nonnullis ex hujusmodi Literis, & Constitutionibus Apostolicis mature perpensis, ad sedandas rumores propterea excipitos, mutuaque & vere christianam inter Episcopos, & Regulares Familias, ac etiam Seculares Ordines, & Soldanitates, publicasque Universitates benevolentiam, & pacem ubique in Ecclesia servandam, de consilio

nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S.R. E. Cardinalibus in hac sententiam devenimus, ut subsequenter literis, & Constitutionibus Apostolicis, eodem Pontifice Benedicto sedente vulgatis, moderationem aliquam auctoritate nostra adhibendam esse decerneremus. Litera vero ipsa, & constitutiones Ordinibus Regularibus pridem concessa haec sunt. Edita IV. Idus Decemb. ann. MDCCXXV. quae incipiunt: Paterna: Alia IX. Kalendas Januar. ann. MDCCXXVI. quae incipiunt: Ratio Apostolici ministerii: Alia III. Nonas Julias ejusdem anni, quae incipiunt: Singularis devotio: Alia VIII. Augusti ejusdem anni, quae incipiunt: Expositio nobis nuper fecerunt: Alia Kalendis Septembris ejusdem anni, quae incipiunt: Vita & morum integritas: Alia Kalendis Januarii anni MDCCXXVII. quae incipiunt: Libenter: Alia V. Nonas Martias ejusdem anni, quae incipiunt: Loca sancta: Alia Kalendas Aprilis ejusdem anni, quae incipiunt: Ex quo Sedes: Alia V. Nonas Aprilis ejusdem anni, quae incipiunt: Summe decet: Alia VII. Kalend. Jun. ejusdem anni, quae incipiunt: Prestitosus: una cum declarationibus sub die XXVIII. Sept. anni MDCCXXVIII. ab eodem Pontifice factis super quibusdam dubiis circa intelligentiam rerum in ipsa constitutione contentarum exortis. Alia XXI. Martii anni MDCCXXIX. quae incipiunt: Expositio nobis fecit: Alia demum VII. Kalendas Aprilis ejusdem anni MDCCXXIX. quae incipiunt: In Sede: Quamvis autem haec omnia, & singula ex ejusdem recollectione memorie Benedicti pia, & laudabili erga Regularium Familias voluntate profecta fuerint, quos ipse ob eorum zelum de salute animarum, religionis fervorem, doctrinam, & regularis disciplinae observantiam, magna ac vere paterna dilectione prosequatur, Nosque ipsi aequo prosequimur, concessa, extensa, decreta, confirmata, & declarata fuerint; Nos tamen qui post varias alternationes, & difficultates de eisdem literis, & constitutionibus excitatis, & optatam Sanctae Dei Ecclesiae tranquillitatem praeculis habemus, volentes ut universis Domini Gregis Pastoribus, ac praesertim Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, in partem sollicitudinis nostrae vocatis liberum iurium suorum, quae summi Dei gloriam, & animarum salutem respiciunt in illorum dioecesisbus exercitum servetur, quaeque illud quomodocumque impedire, & laedere fortasse possunt pro vitili nostra penitus amovere cupientes, quemadmodum alias Romani Pontifices Antecessores nostri saepius egerunt; Nos quoque ad preservandum iisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac quibuscumque aliis Ordinibus, ac Coetibus Ecclesiasticis, & Secularibus suorum iurium exercitum, & possessionem, amovendamque quancumque dissensionem, & litium occasionem ex concessa Nobis divinitus Apostolicae potestatis plenitudine, eorumdem Antecessorum nostrorum Pontificum Romanorum vestigiis inhaerentes, statuimus, & decernimus de omnibus & singulis praedictis literis, & constitutionibus, quae ab eodem Antecessore nostro Benedicto prodierunt, necnon de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indulgiis, exemptionibus, facultatibus, & declarationibus in iisdem contentis, eam deinceps decisionem, ac iudicium, etiam in foro conscientiae habendam, quod sive ex iure communi, sive ex Concilio Tridentino, sive ex decretis, constitutionibus Apostolicis, sive alias legitime habebatur, antequam eadem litera, & declarationes ab eodem Benedicto concessae fuissent, perinde scilicet ac si illae non emanassent; Ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum, ac terminum, omnia superius enunciata omnino reducimus, & reducta esse volumus, ita ut in posterum supradicti Ordines Regulares earumdem li-

terarum, & constitutionum usu, commodo, & effectu penitus carere debere intelligantur. Hinc ad praemissorum effectum pro nullis, & inefficis haberi volumus omnia decreta irritantia prohibitiones, declarationes, mandata, & quaecumque in Literis, & Constitutionibus praedictis quomodolibet apposita, atque alia eorumdem occasione facta, huic reductioni, Decreto, & Voluntati nostrae quomodocumque adversantia, quibuscumque ea essent concepta formulis, ac preservationibus, declarationibus, modificationibus, restrictionibus, explicationibus, derogationibus, restrictionibus, etiam validissimis, efficacissimis, & inviolabilibus clausulis praesertim quod semper in data cuicumque Constitutioni illarum revocatoriae, in posterum edentiae, posteriores censeantur. Etiam motu proprio, & potestatis pari plenitudine, ac ex certa scientia, Etiam Consistorialiter, etiam pro conservatione status regularis, etiam in vim contractus, & stipulationis inter Sedem Apostolicam, & Ordines praedictos inter, quam ad hujusmodi effectum rescindimus, & ex nunc rescissam, nulliusque roboris, & momenti esse volumus, & decernimus; Ideoque omnes dissensiones, alterationes, & lites contra quibuscumque Judicibus Ordinariis, Extraordinariis, & Commissariis, etiam a Causarum Palatii nostri Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, necnon quacumque eorumdem Cardinalium Congregatione, praedictarum literarum, & Constitutionum occasione, jam motas necdum decidas, aut finitas vel etiam, quae iam decisa essent, si modo tractum habeant successivum, easque rursus in posterum excitari contingat, juxta iuris communis, Concilii Tridentini, decretorum & Constitutionum Apostolicarum, ac praesentem hanc nostram dispositionem, nec aliter decidendas esse praecipimus. Futura vero dubia, & difficultates ubicumque, & quancumque oriuntur ad Nos, & Sedem Apostolicam, ad quam Pontificiarum Constitutionum, atque Ecclesiasticarum sanctionum interpretatio pertinet, referendum esse decernimus. Itaque omnia, & singula haecenus memorata, necnon praesentes etiam ex eo quod causa, ob quas emanaverint, comprobatae, expressae, & verificatae, aut in praemissis interesse habentes, vel praetendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque eisdem consenserint, vel alias ex quocumque capite, praetextu, colore, ingenio, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, sive alio quovis defectu notari, & impugnari, argui, infringi, retractari, in jus, vel controversiam vocari ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu concedi nullatenus posset: Sed eas, & omnia, & singula in eis contenta semper, & perpetuo valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, omnino statuimus; Sique, & non alias per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii nostri Auditores, ac praedictae S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, praedictaque Sedis Nuntios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, definiendi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, definiti, & interpretari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & decretum esse volumus; Non obstantibus praemissis, necnon nostrae, & Canonicae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, necnon omnibus, & singulis praedicti Be-

no-

nedicti praedecessoris, declarationibus super dubiis, nullisque constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnium, & singulorum Ordinum praedictorum, ac eorum cuilibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indulgiis, etiam Mare Magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis, literisque Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis quibuscumque etiam derogationibus derogatoris, nullisque effectoribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, nullisque decretis in genere, vel in specie etiam motu proprio, & consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis & pluries innovatis: Quibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium, & singulorum expressio habenda aut alius tenoris, iisdem praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum inseritis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque quomodolibet contrariis quibuscumque. Volumus autem, &c. Nulli ergo omnino hominum. Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae 1732. tertio Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno secundo. De singulis modis, quibus privilegia amittuntur agere pro dignitate immensi esset laboris. Vid. de iis, ubi necessitas postulat, Grueber de privilegio Religios. tract. 1. disput. 5. per tot. Paucis disserendum de revocatione tantummodo Privilegiorum. Et quoad revocationem privilegiorum adhiberi solet distinctio, utrum subdito, an non subdito privilegium concessum sit, sic, ut illo quidem casu revocatio saepe Principi permittitur, hoc non item; Gail. observ. l. 2. observ. 60. num. ult. Merul. in prax. l. 1. tit. 4. c. 3. num. 33. Ast quum non magis subiecti fraudandi sint nisi commodis, quam hisce fides ex iure gentium servanda certe sit, nulla sufficiens ratio apparet talis distinctionis, sive quaestio sit de illis, quae descendunt ex praecedenti quodam contractu, seu causa. Reclius meo iudicio sentitur, qui Principi tribuunt facultatem revocandi in iis privilegiis, quae profuissent ex mera eius liberalitate, non praecedente, vel subsequente conventionione, & obligatione, quae ipse indefinite sine ulla temporis adjectione concessit, aut (quod non infrequens) circa quae tempore concessionis sibi potestatem revocandi, mutandi, diminuendive nominatim reservavit; eo quod haec non alio quam precario iure, videri possunt haberi, atque possideri ab illis, quibus sunt acquisita; Nec ullam inferre dici potest injuriam, qui repetit concessa precario, aut utitur jure sibi reservato, & quidem tametsi nulla penitus causa revocandi subest: Besold. delib. Jur. ad Pandect. lib. 1. num. 13. Anton. Matth. de Aucton. l. 2. c. 7. num. 51. Sin autem mediante contractu interveniente causa onerosa ob factum aliquod impletum, vel implendum, aut donationem praesentem, vel futuram constet privilegia concessa, vel ob benemerita talia, & operas navatas; quae saepe tanti valent, quanti pecunia, non nisi ex causis iustis legitimis, & satis gravibus de novo emergentibus ac iure revocantur Princeps; Besold. ubi supra, Zoes. in Comment. ad Pandect. l. 1. tit. 4. num. 30. Nec aliter dijudicandum est de privilegiis illis, quae cum ex mera benevolentia Principum indulta essent, iurejurando tamquam leges fundamentales

tempore suscepti imperii fuerunt a Successore firmata; Besold. eod. loc. Quod si privilegia, vel ad certum numerum annorum, vel in perpetuum imperata ita sint, ut manifeste constet obreptum concedenti, vel veritate suppressa, vel suggesto mendacio, interpretationis effectu quancumque privari a Principe possunt tales Praetores. Justa itidem revocationis causa erit, si probatum sit Artifices, Opifices, aliosve similes Privilegio sibi concessa contra intentionem Principis concedentis in fraudem aliorum subiectorum abuti; Zoes. ibi. num. 9. Jacob. Coren. observat. 27. num. 157. Uti si obtentu privilegii sibi ipsi jus dicant, factis magnis, & violentiis ac armis de privilegio contententes, quam implorato Judicis competentis auxilio; litem Auctores iisdem locis. At nota, haec procedere, sit ota illa Societas Artificum sic Privilegio sit abusa, si enim cum Universitati indultum esset, per membra quaedam eius singularia sine ipsius Universitatis assensu sub velamento privilegii peccatum fuerit, iniquum erit ex paucorum forte facto insontes quoque ceteros atque ipsam Universitatem quaesito iure fraudari; Gail. observat. l. 2. observat. 90. num. 14. ARTICULUS IV. Quoad ea, quae concernunt privilegia vitae vocis Oraculo concessa. Vide verb. Oracula vitae vocis, per tot. ARTICULUS V. Quoad ea, quae concernunt privilegium fori & privilegium canonis. Vide verb. Clericus art. 2. per tot. PRIVILEGIUM. *** Ad verb. privilegium art. 1. apponenda sunt privilegia & iura Advocatorum consistorialium, & Supplementis II. Editionis, quae ibi ex errore ommissa, hic subiunguntur, ut sequitur. Advocatorum Consistorialium privilegia, & iura in unum colliguntur, eorum collegii antiquitas & decus assertitur; eorum duodenarius numerus & quibus constare debet, declaratur: munus Advocati consistorialis quomodo vacet, demonstratur. Eorum collegio reservatur jus praesentandi tres Advocatos Summo Pontifici in casu vacationis. De eorum praecedentiis & habitu, ac auctoritate, & de iure optandi ad Decanatum, statuitur a Benedicto XIV. tom. 1. constit. incip. Inter conspicuos §. 1. ad 8. Advocati Consistoriales sunt veri Papae familiares; ad eos pertinet causas consistoriales petraetare, in causis Beatificationis, & Canonizationis scribere in Jure, eisdemque causas in Consistorio perorare; in Solemnis Canonizationis instantias proponere; Pallium petere pro Archiepiscopis, aliisque. Ad ipsos spectat regimen Archigymnasii Urbis. Privativa facultas in Urbe doctorandi in utroque, vel altero iure ipsis asseritur, cum extinctione litis eosdem inter, & Protonotarios Apostolicos. Eorum Collegio perpetuo addicta sunt munera Promotoris Fidei, Advocati pauperum, Advocati fisci, & Camerae Apostolicae; Advocati Fabricae S. Petri, Advocati S.P.Q.R. Commissarii Conclavis Sede Apostolica vacante; eisdem conceditur Oratorium domesticum, & facultas condendi statuta, ac removendi Officiales Collegii. Idem in cit. constit. §. 9. ad 35. Advocatorum Consistorialium Decanus in actibus collegialibus praecedit omnibus de Collegio etiam per-

personali dignitate præstantibus. Idem tom. 1. constit. 98. incip. Inter plures §. 16.

Advocati Fisci & Cameræ Apostolicæ officium incompatibile imposterum decernitur cum officio promotoris Fidei. Idem in cit. constit. Inter conspicuos §. 32. Advocatus Fisci & Cameræ Apostolicæ & Advocatus pauperum abstinere debent à patrocinandis alterius generis causis. Idem *ibid.* §. 33. ***

(Quod satis erat ad hac materiam spectans, stat insinuatim, si retrosum inspiciantur quæ liter. B. pag. 301. num. 4. 361. num. 10. 421. num. 15. 434. num. 88. liter. C. pag. 161. col. 1. lit. D. pag. 46. ac denique lit. R. pag. 7. col. 1. sunt animadversa; in verb. Rescriptum multa ab Auctore concinnantur: in hoc verb. doctrina exposita contemptum non meretur hodie ut leges ibi citatæ melius comprehendantur, licet summam, quod continent, referretur, multæ decisiones *tit. 18. part. 3.* suat quæ hic respondent: definitionem seu descriptionem privilegii *lex 2.* proponit; ab ea non differt quæ in principio *art. 1.* manet inserta: methodus ipsomet privilegium conficiendi cujuscumque fuerit qualitatis advertebitur, etiamsi alterius sit confirmatorium; *lex 3.* quid postea faciendum, solemnitate anterioris observata, determinat: cum decreto concessionis à Notario conferendum, in album transcribi debet, cum filo serico, & plumbo signari: ratio demonstratur, hæc cur sunt intervenienda: (consonant *tit. 15. lib. 2. Recop. Cast. 7. & 8. lib. 2. Ord. Reg. Ne despicias tit. 18. lib. 9. ejusd. Recop. præcipue leg. 1. in fin. lex 4.* quæ alia literæ plumbi cum signo, chordaque serica absque denominatione confici valeant, & quomodo exhibet: *lex 5.* literas quæ cum cera signo pendenti sigillandæ, præfinit: quæ in membranis seu papyro conficiendæ: (vid. *lit. T. pag. 49. col. 1.*) Recognosce *leg. 45. tit. 25. lib. 4. Recop. Cast. in omnibus suis duodecim §§. ex leg. 6. usque ad 25. inclusive* variaz formulæ ad diversa instrumenta designantur: à nemine præterquam à Rege ejusve mandato gratiosas epistolas concedi posse, *lex 26.* decernit, ceterum novum privilegium, & confirmationem ab illo dumtaxat: hæc datur distinctio, nam literæ gratiæ valorem obtinent, & si ab alio Regis jussu sint expeditæ, privilegia licet ipsius jussu facta ab altero dari nequeant: in eis recognosce munera, & casus quorum literæ de manu regia (hoc est, subscriptio est subjicienda) procedi debent: (vid. *leg. 10. tit. 4. lib. 2. Recop. Cast. 24. tit. 3. lib. 2. Ord. Reg.*) Per *leg. 27.* deciditur, si circa eas, privilegia dubium aliquod emerterit, Regiam personam præsertim dum de eorum valore, intelligentia, aut declaratione disceptatur, cognoscere: Sed orta discussione inter partes, tamquam ad harum detrimentum concernente, à iudicibus est judicandum: (vid. *verb. Forum, & Judex, in nov. add. hisp. judicium diversitatem*) in confirmatoris non aliter proceditur: in meliorem, sanioerem, naturalem, utilemque partem sunt interpretanda: ad bene omnia perpendenda: vid. *glor. D. Greg. Lop. leg. 6. tit. 1. lib. 4. Recop. Cast. 8. tit. 1. lib. 3. Ord. Reg. & hisp. addit. lit. F. pag. 91. vers. Verumtamen:* Ex *leg. 28. ad 33.* de privilegiis quæ debent aut non subsistere: triplicis sunt generis, scilicet contra, præter, & iuxta forum, jus, aut legem; postea *ex leg. 34. ad 41.* tractatur quod per tempus aliqua rescripta valeant: de his etiam quæ per fraudem obtinentur: *Lex 42. 43. 44. 45. 46. & 47.* determinat quando privilegium perpetuatur vel per non usum amittatur, in ultima equidem quæ sint generalia, & specialia: *ex leg. 49. ad 53.* de literis gratiæ agitur. Conducunt *tit. 14. lib. 4. Cast. & 12. lib. 3. Ord. Reg. cum leg. 2. 10. 12. 13. 25. & 29. tit. 4. lib. 2.*

PROBATIO.

SUMMARIUM.

- 1 Probatio ut sic quid sit.
- 2 Probatio Judicialis quid sit.
- 3 Probatio generatim sumpta dividitur in Judiciali, & extrajudiciali, & quæ sit utraque.
- 4 Insuper probatio dividitur in plenam, & semiplenam, & quæ sit utraque.
- 5 Probatio plena subdividitur ab aliquibus in plenam, plenioram, & plenissimam, seu in evidentissimam, claram, & minus evidentem, & quæ sint omnes tres.
- 6 Probationum species, quomodo alii assignentur duodecim, alii decem, comode tamen reducuntur ad novem contentas in sequentibus versculis, & assignantur, ad num. 7.
- 8 Probatio debet esse clara, & certa.
- 9 Probatio dubia, seu equivoca non relevat probantem, sed rejicitur debet.
- 10 Probatio Judicialis debet fieri secundum libellum.
- 11 Probatio Judicialis regulariter debet esse plena, & conclusiva.
- 12 Quamvis autem probatio hæc & nunc sit plena, & conclusiva: ut plurimum iudicis arbitrio relinquitur.
- 13 Dantur tamen plures casus, in quibus non requiritur probatio plena, sed sufficit semiplena, vel alia ex conjecturis deprehensa, ut sunt casus in quibus sententia lata facit modicum præjudicium.
- 14 Sic probatio plena non requiritur, sed sufficit semiplena, & præsumptiva in materia difficultis Probationis.
- 15 Item sufficit probatio semiplena, & ex conjecturis, seu indicis in rebus antiquis, præsertim si excedant 100. annos.
- 16 Item sufficit probatio semiplena, & unius testis depositio in iis, quæ nemini nocent, & alteri proximi.
- 17 Item sufficit probatio semiplena in iudicio Mautentionis & Interdicto retinenda.
- 18 Item sufficit probatio semiplena in materia de sui natura verisimili.
- 19 Tandem sufficit probatio semiplena in causis summaris, ubi agitur de rebus modicis, & quasi nullius præjudicii.
- 20 In concursu contrariorum probationum, plenior, fortior, seu efficacior prævalere debet, & minor, sive minus plena habetur pro non facta.
- 21 Item probatio clara, & magis distincta prævalet præsumptioni præsumptiva obscura, & minus distincta.
- 22 Item probatio certa, & conclusiva superat probationem equivocam, & imperfectam.
- 23 Item probatio specialis prævalet probationi generali.
- 24 Probatio per aspectum corporis præfertur probationi per attestatorem juratam in contrarium.
- 25 Probatio per evidentiam facti, seu per inspectionem ocularem, vel per instrumentum, vel per rem judicatam, vel per confessionem partis superat quancumque aliam probationem.
- 26 Sic nulla alia datur major probatio, quam ea quæ fit ex proprii oris confessione.
- 27 In æqualitate probationum favetur reo.
- 28 Item in æqualitate probationum favetur possessori.

Es

- 29 Excipiuntur tamen hinc quatuor causæ favorabiles, quæ assignantur.
- 30 Plures probationes semiplene possunt conjungi ad faciendam, seu constituendam plenam probationem; dummodo quilibet de per se, & in suo genere sit perfecta, & tendat ad eandem finem.
- 31 Si autem probationes semiplene in suo genere sint imperfectæ, licet plures, non conjunguntur ad constituendam plenam probationem.
- 32 Ubi probationes concludentes requiruntur, debent illa per necesse concludere, & non per possibile.
- 33 Probatio plena, & conclusivissima requiritur in materia objectiva, & quæ sapias delictum, præsertim ubi agitur de magno præjudicio.
- 34 Ubi probatio est ex solis præsumptionibus, etiam vehementibus, nemo in causis criminalibus criminaliter motis (quibus æquiparantur causæ Civiles ardua, & magni momenti) condemnandus est; Nisi tamen indicia sint indubitata, & luce clara, seu talia, quæ evidentiam rei inducant.
- 35 Verba narrativa Papæ, quibus in suis Apostolicis literis proprium factum narrat, plenam probationem faciunt, si super illis intentio ipsius fundetur.
- 36 Secus autem, si intentio Papæ super eis non fundetur.
- 37 Hinc si Papa suis literis Apostolicis salutem excommunicatum, non per hoc censetur eum absolvere.
- 38 Immo quomvis Papa scienter excommunicato participet literis, verbis, osculo, aut quovis alio modo, non idcirco censetur eum absolvere, nisi expressè se declarare vellet per hoc ipsum absolvere.
- 39 Similiter si Papa quæpiam sub titulo ejuslibet Dignitatis nominet, honorat, tractet, & hujusmodi, non per hoc in dignitate illa ipsum approbare intelligitur.
- 40 Quando intentio Papæ fundatur super facto alieno à se narrato, tunc narratio, seu assertio Papæ facit quidem plenam fidem, si nihil opponatur; sed tamen admittitur probatio in contrarium.
- 41 Enunciative Papæ matura consideratione omitta omnino probant.
- 42 Unde Enunciative Papæ motu proprio emanate plene probant etiam de facto alieno.
- 43 Item etiam unica in antiquissimis probationem constituunt.
- 44 Item Enunciative antiquissima Pontificis probant qualiter Ecclesie.
- 45 Item probant etiam dominium possessionis.
- 46 Item probant Ecclesiam esse in uno potius territorio, quam in alio.
- 47 Limitantur prædicta tamen, quando non motu proprio, sed ad instantiam, supplicationem, vel suggestionem partis sunt emissa, quo casu licet sint antiqua, contra tertium non probant.
- 48 Quod procedit, etiamsi in illis fundetur intentio Papæ.
- 49 Assignatur differentia inter narrativas, & enunciativas.
- 50 Probatio est faciendæ iudici, & non adversario, vel alteri.
- 51 Potest tamen iudex alium deputare ad recipiendos testes, depositiones, aliasque probationes.
- 52 Probationes ex testium depositionibus recipi non possunt, nisi citato, & si venire voluerit, præsentè adversario, alioquin nihil valent.
- 53 Probationes Judiciales debent fieri iudici in presentia publici Notarii aut duorum Virorum idoneorum, qui præter cetera acta iudicii, diligenter easdem conscribant.
- 54 Probationes generatim loquendo faciendæ sunt ab eo, qui dicit, non ab eo, qui negat.
- 55 Probatio, seu onus probandi regulariter incumbit Actori.
- 56 Quandoque tamen onus probandi incumbit ipsi Reo, & signanter, si is excipiendū aliquid affirmet, quod deinde in replicatione ab Actore negatur.
- 57 Item Reo incumbit onus probandi, quotiescumque

ERRATA. BIBLIOTHECA. TOM. VII.

- presumptio Juris erat pro Actore.
- 58 Item etiam Reo incumbit probatio in iudiciis duplicibus, seu communibus.
- 59 Hujusmodi iudicia duplicia, seu communia assignantur.
- 60 Item etiam reo incumbit probatio in Interdictis duplicibus, quæ assignantur.
- 61 Reus non tenetur regulariter suas scripturas, & instrumenta, quibus in iudicio non est usus, tradere, seu consignare Alteri, nec ipse Actor potest ipse petere.
- 62 Tenetur tamen reus tradere Actori petenti instrumenta communia.
- 63 Probationes post publicationem attestatorum regulariter non possunt amplius fieri, seu alii testes super eisdem articulis vel directè contrariis produci, quomvis possint produci nova instrumenta usque ad conclusionem in causa.
- 64 Post conclusionem in causa non amplius super eisdem articulis examinandi sunt testes, neque admittenda nova probationes per instrumenta, vel hujusmodi, sed est ferenda sententia super allegata, & probata.
- 65 Possunt tamen admitti alie probationes super novis articulis, etiamsi pendeant ex veteribus, aut ex illis oriuntur.
- 66 Quomvis præmissa conclusiones regulariter procedant; Nihilominus dantur plures casus, in quibus possunt adhuc produci novi testes, etiam super eisdem articulis post publicationem attestatorum, & admitti novæ probationes post conclusionem in causa.
- 67 Sic in primis casibus, ubi agitur de valore Marimonii.
- 68 Item in causis beneficiabilibus.
- 69 Item in causis criminalibus præsertim capitalibus.
- 70 Item dantur alii consimiles casus videndi apud assignatos Auctores.
- 71 Alia ad rem remissive.
- 72 Subnecuntur Supplementa Auditoris.
- 73 Additio. ex aliena manu.

Probatio ut sic, est rei dubiæ, seu controversæ per legitima argumenta facta ostensio. Mascard. de probation. vol. 2. q. 2. provincial. n. 8. Abbas ad Rab. de probation. n. 1. Host. in Summa de probation. n. 2. Reiffenstuel lib. 2. Decret. 1. 19. n. 2. & alii passim. Probatio Judicialis est iudici rei dubiæ apud eum controversæ per legitimos modos facta ostensio. Mascard. l. c. n. 17. Engel lib. 2. Decret. tit. 19. n. 1. Vallens. *ibid.* §. 1. Sannig. *ibid.* cap. 1. Reiffenstuel *ibid.* n. 5. & alii. (Vid. leg. 1. & 7. l. 14. p. 3.)

Probatio generatim sumpta dividitur in Judiciali & extrajudiciali. Judicialis est illa, quæ fit in iudicio; Extrajudicialis est illa, quæ fit extra iudicium, ut sunt probationes, quæ solent adhiberi inter homines privatos proin contractibus civilibus. Sic in re Comm. (Ad rem lex 3. & 7. tit. 13. pag. 3. l. 1. & 2. l. 7. lib. 2. For. Reg.)

Insuper probatio dividitur in plenam, & semiplenam. Plena est illa, quæ tantam fidem facit, quanta ad definiendas controversias sufficit, ut est probatio, quæ fit per duos testes omni exceptione majores, per instrumenta authentica, per confessionem proptiam, & hujusmodi. Semiplena est illa, quæ facit quidem aliquam fidem rei gestæ, sed non tantam, quæ sufficiat ad definiendas controversias, ut est probatio per unum testem, per confessionem extrajudicalem, per scripturam privatam, per fugam Rei, qui debuisset respondere, per famam, & hujusmodi. Sic in re Communis.

Probatio plena subdividitur ab aliquibus in plenam, plenioram, & plenissimam, seu in evidentissimam, claram, & minus evidentem. Probatio evidentissima censetur illa, quæ fit per privilegia, & instrumenta indubitata, ut notat Mascard. loc. cit. quest. 4. num. 5. Abbas in cap. Licet n. 11. de probationib. Reiffenstuel loc.

Ti

loc.